



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. LXV. Eleemosyna Spirituale contra pestem emplastrum est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

## CAP. LXV.

*Eleemosyna spirituale contra pestem emplastrum est.*

**I**Ta eam vocat iam immediatè nominatus (cui magnam huius tractatus partem acceptam debeo, utpotè è cuius doctissimorum Commentariorum in S. Scripturam penuario plurima hausi) P. Cornelius Belgæ noster & Societatis Jesu magnum lumen in exiguo licet corpore. sed, Breuis in volatilibus est apis, & initiū dulcoris habet fructus illius. Ille igitur in cap. 58. Isaïæ Prophetæ explicans verba illa quæ debitas condiciones veri ieiunij continent, scilicet: Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum & egenos vagosq; induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris (quæ omnia sunt opera veræ misericordiæ.) Tunc erumpet quasi mane lumen tuum & sanitas tuacitiùs orietur; ita inquit: Assignat hîc Deus eleemosynæ & misericordiæ præmia, quasi dicat: In Babylone captiuus es ô Israel, ibique penuria, squalore, moerore, alijsq; ærumnis conficeris, ægrotas & consumeris. Accipe remedium & pharmacum præstantissimum, misericordiam. hæc te omnesque tuos dolores & infirmitates curabit. tua enim misericordia, Dei in te misericordiam quæ te sanet, prouocabit. vnde LXX. pro, *sanitas*, vertunt, *idmata*, id est, medicamenta vel emplastra.

Eleemo-

P.

Eleemosyna ergo est emplastrum efficacissimum, quod omnibus plagis & morbis, tam corporis quàm animi cicatricem & sanitatem inducit, adfertq; misericordiam longævum ut sit diuturnæ vitæ. ita ille. unde benè S. Hieronym. ad Nepotianum: Numquam memini me legisse malâ morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. Sed ad ipsam primam veritatem nos conuertamus: illa igitur per Prophetam David ita nos affecurat: *Beatus qui, attentè & altè considerando quod scriptum est, Miserere animæ tuæ placens Deo, intelligit super egenum & pauperem: in die mala, id est, malorum, liberabit eum Dominus.* ac si diceret; à varijs malis liberabit eum Dominus. quod cùm enuntiando posset, optando explicat in hunc modum: *Dominus conseruet eum in valitudine & prosperitate.* Eleemosynis enim vita de periculis, teste Cyp. redimitur. cui consentiens Leo: Nemo, inquit, de sui corporis qualitate securus sit, qui nulla eleemosynarum purificatione mundatur. & si mortuus fuerit, *uiuifcet eum* eleemosynis enim, inquit Cyp. non tantum à secunda, sed à prima morte animas liberari compertum est. quod ipsum consentiente Chrysoft. ostendit ex resuscitatione Thabitæ. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.* quo versiculo utendum esse ijs qui infirmitate corporis detentos visitant, ut habeant medicinam Dei quâ sani esse mereantur, auctor est in hunc locum Ambros. quod profectò eleemosynas facientibus nemo frustra precabitur; adiungit enim Psaltes per apostrophem ad Deum: *uniuersum stratū eius eleemosynarū lecto doloris affixi, versasti,* intelligit Theodoretus, *mutasti, in infirmitate eius.* contingit enim ægrotos in gratiam impensæ misericordiæ sic curari, ut  
 ipsi

Psal. 40.

Ianson. in  
Psal. 40.

ipsi qui in lecto decumbebant, ex eo non solum Dei indulgentia curati confurgant, sed cum Euangelico paralytico & homine triginta octo annos habente in sua infirmitate, reparatis ac vegetatis (verba Cyp.) viribus, grabatum suum tollant & abeant. Unde intelligas eos qui non tam plenè curantur, in gratiam erogate eleemosynę aliquid saltem leuamini ac medelę accipere. Hactenus pię memorię Iacob. Ianfonius.

Porro quod Propheta sanctus à Spiritu sancto didicerat, in sui & populi bonum praticare cœpit. Cùm enim audisset suptruginta millia virorum cecidisse pestilentia in Israel, & præterea ipsemet vidisset Angelum Domini euaginato gladio stantem inter cœlum & terrā vt percuteret Ierusalem, statim humillima voce Dominum deprecatus est, & peccatum suum publicè confessus est. nec hoc satis. opera adiunxit. ipse enim & maiores natu induti cilicio ( cuius primus auctor legitur Patriarcha Iacob, quo antesignano meritò gloriari possunt ciliciphori, eumque opponere mollibus Nouantibus qui aspera omnia aspernantur, ciliciumque numquam induerunt, & forte numquam viderunt ) pronus in terram se prostrauerunt, admonitusque ab angelo per Gad Prophetam emit ab Areuna, qui & Ornam, Iebusæo aream sexcentis siclis aureis, & boues quinquaginta siclis argenteis, & extructo ibidem altari obtulit super eo holocausta & pacifica, exaudiuitque eum Dominus in igne qui mirabiliter descendit de cœlo super altare, & sic cessauit plaga ab Israel. quo signo ignis cœlitus delapsi certior ipse factus, quod non solum exaudisset eum Dominus, sed etiam accepta habuisset sacrificia, quę eidem in area Ornam Iebusæi existente in monte Moria ( qui & Caluarię, in quo Saluator postea crucifixus fuit ) obtule-

Pp

rat

rat, intellexit illum esse locum à Domino electum pro cultu eius ibidem exercendo, & propterea decreuit ut templum à successore suo ædificandum in eadem area extrueretur. cuius ædificij desiderio cum summoperè ille exardesceret videretque filium suum Salomonem esse juvenem in delitijs enutritum ac consequenter minus habilem ad excogitanda & preparanda quæ pro tam grandi opere opus essent, quod reliquum vitæ habuit, totum pænè in eiusmodi præparationibus impendit. itaque omnium pænè artium plurimos accersuit artifices, lignarios cœmentarios, ferrarios, ærarios, argentarios & aurifices excellentissimos. insuper separavit certa auri argentiq; pondera ad singula ministerij vasa cõficienda; quam summam pro integro templo Salomoni à Davide relictam, computat quidam fuisse bis mille & quadringentos millones auri. quæ summa auri, inquit idem, vix jam in tota Europa reperiretur. Neque solum quæ pro extruendo exornandoque templo necessaria erant præparari curavit, verùm etiam quæ ad cultum Dei in eodem templo magnificentissimè præstandum convenientia videbantur, disponere ac præordinare non omisit, nempe Leuitarum Sacerdotumque per vices suas ministeria. Talibus hostijs promeruit Deum, & cessavit plaga ab Israel. vide Torneillum. Promeruit eundem per easdem contra eandem S. Odilo Abbas Cluniacensis, anno enim 1006. ut inquit noster Belga Sigebertus antiquus Chronographus Monasterij Gemblacensis, fames & mortalitas tam grauter per totum orbem inualuit ut sepelientium tœdio viui adhuc spiritum trahentes obseruerentur cum mortuis. quo tempore accedisse videntur quæ de sancto hoc Abbate, Petrus Damiani in ipsius vita sic narrat. In erogandis prætereà elemosynis ita

A Lap. in  
ca. 38.  
Exod.

Torneill.  
an. mudi  
3017. ab  
orbe cõd.

lar.

largus erat vt nonnulli, dum eum omnia dispergentem sine cunctatione conspicerent, non dispensatorem, sed prodigum iudicarent, præsertim quodam tempore dum famis Aquitaniæ fines vehemēter affligeret ac plurimas Galliarum Prouincias pestilenter arctare, exhaustis jam in pauperum vsus ærarijs, & horreis quorumcumq; prouentuum non mediocriter profligatis, mox etiam plurima sacra vasa confregit, insignia Ecclesiæ ornamenta distraxit, coronæ quoque quam sibi Imperator Henricus ob sui memoriam destinauerat, non pepercit. Ut igitur tam acerbæ famis in quibus valuit temperaret inopiã, quidquid hinc inde corradere potuit facultatum in sustentationes & alimenta tradidit pauperum, quæ famis & pestis tempore ijs maximè sunt necessaria. quadã die duos pueros interemptos inuenit: equo desiliit, & laneã qua indutus erat ad carnem, subduxit sibi interulam, eaque prout velaminis quantitas permittebat, vtrumq; cadauer obuoluens, exhibet mortuis sepulturam. nam & vespillones conduxit mercede, & funereas vsque ad tumulum prosecutus exequias, defunctis fratribus debitũ humanæ pietatis exhibuit. Est autem hic S. Odilo qui primus in suo Monasterio instituit commemorationem animarum fidelium defunctorum postridiẽ omnium Sanctorum seruandam; quem ritum postea vniuersalis recepit Ecclesia. De largis eleemosynis Guntheramni regis tempore pestis supra dixi, sicuti & de munificentia sancti Caroli Borromæi, qui vsque ad proprij lecti distributionem peruenit. Quomodo S. Cyprianus subditos suos ad misericordiæ opera tempore atrocis illius pestilentiæ toties jã memoratę sub Gal. & Voluf. Imp. adhortatus sit, narrat Pontius diaconus in eius vita. Aggregatã primò, inquit, in loco vno plebem de misericordię bono instruit

Martyr.  
Rom.  
1. Jan.

docens diuinæ lectionis exemplis quantum ad prome-  
 rendum Deum profint officia pietatis. tunc deinde sub-  
 iungit, non esse mirabile si nostros tantum debitæ cari-  
 tatis officio foueremus. eum perfectum posse fieri, qui  
 plus aliquid publicano vel ethnico fecerit, obsequium  
 suum gentilibus etiam exhibendo, exemplo Patris cœle-  
 stis qui Solem suum oriri & nubes pluere facit supra ius-  
 tos & iniustos. Qui enim se filium esse profiteretur, cur  
 non etiam exemplum patris imitatur? respondere nos  
 decet natalibus nostris, & quos renatos per Deum con-  
 stat, degeneres esse non congruit, sed probari potius in-  
 sobole traducem boni partus æmulatione bonitatis.  
 Narrat postea quantas eleemosynas erogauerint, non  
 solum domesticis fidei, sed indiscriminatim omnibus. Et  
 certè non minus eæ distribuendæ sunt peste infectis,  
 quàm magna fame laborantibus, quandoquidem illi ob  
 omnibus derelicti, vix necessaria vitæ sustentandæ sibi  
 possint comparare. Varia interim sunt genera eleemosy-  
 narum, in quibus quicumq; se exercuerit, certus sit quod  
 si super egenos & pauperes verè intellexerit, in die mala  
 liberabit, conseruabit & viuificabit eum Dominus, ver-  
 sabitque in infirmitate lectum doloris eius, deprecanti-  
 bus pro salute eius tot intercessoribus, quot hîc nutriue-  
 rit egenos. Callebat hoc probè Ludouicus Germaniæ  
 rex, qui cùm apud Ratisbonam Boiarię ciuitatem graui  
 detineretur infirmitate, ita vt medici illum sanitatem  
 recuperare posse desperarent, omne aurum & argentum  
 quod in thesauris suis inueniri potuit, in diuersa Mona-  
 steriorum loca distribuit, & pauperibus erogauit. vnde  
 & à cœlesti Medico cui se suaque commendauit, ex in-  
 sperato curari promeruit. Nempe *eleemosyna eius ascende-  
 rans in memoriam in conspectu Dei. Eleemosyna ab omni pecca-*

Pithæus  
 in Annal.  
 & Baron.  
 tom. 10.  
 369. 107.

Astor. 10

to & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras  
 mortis, tam primæ quàm secundæ. nam, vt ait S. August. Homil.  
29. inter  
50.  
 Eleemosyna in pauperes, sacrificium Christianorum est.  
 hinc enim Deus fit peccatis, & eorum pœnis propitius,  
 vt scilicet plagas suas hisce eleemosynarijs non immit-  
 tat in hac vita. putat enim S. Hieron. & alij, Nabucho-  
 donozorem fecisse eleemosynas, ideoque ad duodecim  
 menses dilatam esse Dei contra eum sententiam, donec  
 rursus bonum clementiæ amisit malo superbiæ. vnde  
 pro eo quod nos habemus Daniel. cap. 4. Peccata tua,,  
 eleemosynis redime, forsitan ignoscet delictis tuis,,  
 Chaldæis est; forsitan prolongatio erit paci & prosperi-  
 tati tuæ. Si ergo in tribulatione, morbo, peste aliâve af-  
 flictione positus orationem tuam ad Deum volare desi-  
 deras, adiunge ei duas alas, inquit August. ieiunium &  
 eleemosynam: nam *bona est oratio cum ieiunio & eleemosy-  
 na, quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est que purgat  
 peccata, & facit inuenire misericordiam in die tribulationis.*

Illud ergo ieiunium Deus approbat quod ad eius oculos  
 manus eleemosynarum leuat, quod cum proximi dile-  
 ctione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo  
 quod tibi subtrahis, alteri largire, vt vnde tua caro affli-  
 gitur, inde egentis proximi caro reparetur. Sibi enim  
 comedit & bibit, quod exprobrat Zacharias Propheta, Tob. 12.  
Gregor.  
Hom. 16.  
in Euâg.  
Zach. c. 7.  
 qui alimenta corporis quæ sunt communia dona condi-  
 toris, sine indigentibus percipit. Et sibi quis ieiunat, si ea  
 quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed  
 ventri postmodum offerenda custodit.

Illud autem occasione jam dictorum studiosè hîc no-  
 tandum est, quodd sicuti Deus propter hæc similiaque  
 bona opera à seruis suis sæpè pestem profligauit, ita pro-  
 pter eadem ab iisdem facta, eorum hostes sæpiùs eadem



afflixerit. vnum huic asserendo suffecerit.

Baron.  
an 1065.

Vzica Scytharum gens maximo belli apparatu, & sexcentis millibus bellicosorum virorum instructa, transmissa Istro Thessalonicam & Græciam irruperat, & omnia quæ ante pedes erant vexauerat diripueratque ingenti abacta præda, jamque nouæ gentes in Romanum Imperium eruptione Christiano orbi haud minorem cladem minabantur quàm Gothi, Hunni, Wandali & Longobardi olim intulerant. Accedebat ad malum quod cùm Imperator esset imbellis (Constantinus Ducas is erat) quamuis pius, & in Oriente iam Turcæ fatigaret Imperium Romanum, haud spes aliqua superesse videri poterat vt exundantibus barbaris resisti posset. Tentauerat eos Imperator legatione missâ, muneribus, sed frustrâ. qui cùm esset coactus exire ab vrbe vrgentibus ciuibus, non ampliùs quam 150. milites qui eum sequerentur, inuentos esse ait qui hæc describit Curopolates. Fertur tunc Imperator desperatis rebus indixisse jeiunium & sibi & populo frequentes supplicationes adhibuisse, ipse pedes cum lacrymis incedens & contrito corde. qua die conspecta est ab Uzis in tabernaculis commorantibus militum multitudo in acie dimicare, & cum summa festinatione crebra contra ipsos tela jacere, ita vt ex ipsis nemo illæsus remanserit quin vulnus acceperit ita pugnante Deo. Post hæc autem ad eundem Imperatorem peruenisse nuntium refertur, qui affirmaret gentem illam peste & fame consumptam; reliquias cum Ducibus transmissa Istro ad propria remeasse. His acceptis Imperator Deo & Dei genitrici sacrificio cum gratiarum actione peracto, rectâ ad urbem se contulit, quam reperit admirationis & stuporis plenam, vota que Deo pro accepta salute persoluentem. Verùm omnes  
quod

quod factum erat diuinum miraculum censentes, Imperatoris erga Deum pietati adscribebant, quod non virtute & viribus aut potentiâ Imperatoris, sed religione Deus flexus esset. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. arcum conteram & confringam arma & scuta comburam igne pestilentia.

## CAP. LXVI.

*De solemnibus supplicationibus pro auertenda mortalitate institutis.*

**V**etustissimus in Ecclesia mos sacras supplicationes quas etiam Litanias vocamus indicere tempore publicæ alicuius necessitatis, in quibus sanctorum reliquiæ circumferabantur aut eorum sacræ imagines ac Litanie à Clero decantabantur, vt sic sanctorum meritis quod proprijs, vtpotè peccatores, non possumus, dum toties à nobis in subsidium aduocantur, quæ petimus faciliùs impetremus. Pueri aut statura pusilli qui introitum ad ædes magnatum desiderant, neque tamen defectu longioris staturæ nolas portis illorum appensas attingere vel pulsare possunt, altiores quospiam aduocant vt pro se easdè pulsare dignetur quatenus sic audiri intrare valeant. pusilli omnes sumus in bonorū operū meritis, & illā tam altè suspensam diuinæ misericordiæ nolā pulsare non valemus. quid cōsilij? audiri cupimus, intrare desideramus, & tamē pulsare nō valemus? en vt à Domino misericordiarū audiri & exaudiri mereamur, coelestes indignas qui in meritis altissimi sunt, in & advocare debemus, qua-